DISPVTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
De
IVRISDICTIONE, MIXTO ET MERO IMPERIO,

QVAM

DEI T. O. M. DIVINA ADSPIRANTE GRATIA:

EX DECRETO ET CONSENSV

Magnifici & Ampliſſimi Iureconſultorum Ordinis in celeberrimâ IVLIA,

PRÆSIDE

Clariſſimo, Conſultiſſimo VIRO,

DN. JOACHIMO VVECCIO J. V. D.

PROFESSORE ORDINARIO PVBL. P. T. PROMOTORE, AC DICASTERII, QVOD EST IN Ducatu Calenbergenſi, Adſeſſore longè digniſſimo, &c.

Pro conſequendis in utroque jure DOCTORATVS honoribus ac Privilegijs

Publicæ cenſuræ ſubÿciet

IOHANNES Boye/ DITHMARS.

IN AVDITORIO MAIORI

Ad diem V. Iunij, horis conſuetis antè & pomeridianis,

HELMAESTADI

Typis JACOBI LVCII, Typogr. Academ.

Anno cIɔ Iɔ c XXXIIX.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EM.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi ac
DOMINO

DN. FRIDERICO

HEREDI NORVEGIÆ, DV-
CI SLESVVIGÆ, HOLSATIÆ,
Stormariæ & Dithmarſiæ, Comiti Ol-
denburgenſi & Delmenhor-
ſti, &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

*Diſputationem hanc inaugura-
lem humilimè offert & con-
ſecrat*

Sereniſſimæ Celſitudi-
nis ejus ſubjectiſſi-
mus

IOHANNES Boye
Dithmarſus.

CVM BONO DEO

THESIS I.

DE Iuriſdictione, deque mixto & mero imperio, materiâ perquàm difficili & intricatâ quæ non legibus, ſed commentariorum ex commentarijs libris, qui, dicente Longovallio; ampliſſimæ Ptolomei bibliothecæ reſarciendæ ſufficerent, in tantum diffuſa eſt, ut confuſione ſuâ laboret: paucis acturi: Id principio in mentem venit, quod *Florus in prologo rerum Romanarum ſcribit:* Si quis populum Romanum quaſi hominem conſideret, totamque ejus ætatem percenſeat, ut cœperit, ut adoleverit, ut quaſi ad juventæ florem pervenerit, & poſtea conſenuerit; quatuor gradus ejus progreſſuſq. inveniet. Idem enim huic materiæ ferè convenire deprehendere licet. Variæ namque ejuſdem formæ pro diverſitate ſtatus Reipubl. Romanæ inductæ fuêre. Sed propoſitum mihi eſt, digitum tantùm intendere in reliquas juriſdictionis formas, eamq; præcipuè tractare, quæ à legibus noſtris tradita & explicata fuit.

II. Quod ergò ait Florus *d. loco:* Prima ætas ſub Regibus fuit, & hæc ejus infantia, id optimâ ratione huc quadrat. Initio namque civitatis omnia manu à Regibus gubernabantur, ut inquit Pompon. *l. 2. §. 1. de Or. Iur.* neque ullum propè jus certum Romæ erat uſque ad leges 12. tab. Halic. *lib. 2. antiquit. &*

 lib. 10.

lib. 10. in pr. Sed arbitria Principis pro legibus erant. Romulus quidem auctâ ad aliquem modum civitate, diviſâque multitudine, in tres primùm tribus, & has in curias decem, eaſque iterum in decurias: animum ad deligendos, qui ſecum Rempubl. adminiſtrarent, adjecit, juſſitque populum, (huic enim lege latâ, quam Dionyſ. *lib. 2. refert:* Populus leges ſciſcunto, Magiſtratus creanto, & bella decernunto: eam poteſtatem conceſſerat) ex ordine patricio centum, qui ab autoritate patres, ab ætate Senatus vocabantur, eligere, penes quos Reipubl. conſilium eſſet. De quo *Liv. lib. 2.* teſtatur: Cum jam virium haud pœniteret conſilium deinde viribus parat, centum creat Senatores. Vid. Halic. & Plutarch. *in vit. Rom.* de modo inſtitutæ electionis.

III. Attamen nolim quenquam exiſtimare me ideò minus putare manu Regiâ, id eſt, arbitrio Regis non adſtricto legibus judiciorumque ſolennitatibus omnia gubernata eſſe. Nam non, quod populo eam poteſtatem conceſſit, ob id ſibi ademit, quin potius non aliter conceſſit, quam ſi ille ratum haberet populi judicium. Neque ulla ratione imperium Regium minuit, eſſe legitimos Magiſtratus, quinimò nihil magis eidem conforme eſt. Nam, ut ſcitè Barcla: *Arg. lib. 1. p. m. 33.* Quemadmodum ex domeſticis nonnullos ſeligimus, ac veluti adoptamus noſtras in curas, fidemque eorum familiaritate ac muneribus tam penſamus, quam ſollicitamus in futurum: Ità ni Princeps ſibi quæſierit ejuſmodi vicariam opem, non ſufficiet publicis laboribus, ne quidem, ſi vel firmiores Atlante cervices incumbentibus negotijs opponat. Itaque ergo Romulus conſtituit: ut Patricij

tricij ſacra curarent, jus redderent, ſecumque Rempubl. adminiſtrarent. Vid. *Forſter. hiſtor. jur. Rom. lib. 1. c. 6. n. 6.*

IV. Alia deinde & diverſa, ejectis Regibus, juriſdictionis forma ſub Coſſ. fuit: Non tam primis: Iunio Bruto & Tarquinio Collatino, quibus omnia jura omniaque inſignia Regum Comitijs centuriatis, anno Vrb. 244. vel ut alij 245. interrege Sp. Lucretio, populus contulit: ità ut nomen magis quam imperium mutatum videretur, niſi quod ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine vel morâ corrumperetur, Flor. *lib. 1. cap. 9.* quam illorum ſucceſſoribus, maximè Valerio Publicola, qui cum ob extructam in alto domũ in ſuſpicionem affectati regni veniſſet, unâ nocte eminentes ædes in plana ſubmiſit, legeſque tulit, quibus Coſſ. poteſtatem plurimum minuit: Quarum prima: ut à Coſſ. ad populum provocatio eſſet, neve in caput civis Romani poſſent animadvertere injuſſu populi; Solum relictum eſt illis vt coërcere poſſent, & in publica vincula duci juberent: *Plutarch. in Public. l. 2. §. exactis 16. de Orig. jur.* Altera: Ne quis magiſtratum caperet injuſſu populi, mortis pœna propoſitâ in eum, qui contrafaceret, impunitate conceſsâ ei, qui eum occideret.

V. Quæ leges quomodo non tantùm juriſdictionis paulatim in aliam atque aliam formam mutandæ, verum etiam ipſius Reipubl. ſtatus tantùm non evertendi, anſam dederint: vel hoſpiti planè in hiſtoriâ Romana patet. Vt meo judicio earum latorem Plebicolã verius quam Publicolam appellaveris.

VI. Cum enim ejus lex Sententias Coſſ. de

 capite

capite civis Romani irritas faceret, niſi plebis judicium accederet, datâ ſcilicet reis provocatione ad populum: in causâ ea erat, ut plebs, quæ eadem crimina quæ perpetrabat, etiam dijudicabat, officium ſuum nollet facere, nec munia, ſublato omni ſupplicij metu, obire.

VII. Itaque Senatus attentiſſimo ſtudio conſilium huic malo medendi inijt: Cumque nullum præſentius videretur: SCto facto, conſenſu plebis, neſciæ quantum ageretur, Dictatorem primum T. Largium, nono poſt ejectos Reges anno, Conſul Clœlius dixit, cui citra provocandi jus capitis animadverſio data eſt. Quo creato, reliquorum Magiſtratuum officium, excepto Tribunorum plebis, ceſſavit, quicquid etiam Cujac. contrà nitatur, inductus, authoritate, ut putat, Pomponij *in l. 2. § & his 19. verſ. Magiſtratus de Or. jur.* Vbi tamen nihil minus dicit, & ſi diceret; unicam Polybij authoritatē ex multis aliorum, ei oppoſuiſſe ſat foret, qui *lib. 3. hiſt.* inquit: Hoc (Dictatore) conſtituto, omnes alij Magiſtratus, exceptis Tribunis plebis, diſſolvuntur.

IIX. Sed cum hunc Magiſtratum plebs in ſe creatum videret, nec fœneratorum impotentia, in terga quoque ſerviliter ſævientium, verba *Flori lib. 1. cap. 23.* ceſſaret, in montem ſacrum armata ſeceſſit, nec niſi Tribunis, qui ſui patrocinium contra patricios ſuſciperent, impetratis, inde revocari potuit, *Vid. Liv. lib. 2.* de cauſa ſeceſſionis & numero Tribunorum, an. Vrb. 260. primum creatorum.

IX. His fundamentis democratiæ jactis; facilis ad majora audendum fuit progreſſus. Itaq; cum Decemviri ſcribendis legibus à Triumviris ex Greciâ

allatis, ſine provocatione creati, Imperio abuterentur, ſibique ipſis prorogarent faſces; nefariè ac libidinosè omnia agentes, maximè Appius Claudius, qui oblitus & Lucretiæ, & Regum, & juris quod ipſe compoſuerat, eò inſolentiæ proceſſit, ut ingenuam virginem, falsò à cliente in ſervitutem aſſertam, ſtupro deſtinaret. *Flor. lib. 1. cap. 24* de quo videantur latè *Liv. lib. 3. & Halic. lib. 11.* ne hic prolixus ſim. Plebs indignitate flagitij mota in Aventinum iterùm montem ſeceſſit, Patrum interceſſioni non antè locum dans, quam extorto eo: Ut Decemviri primo quoque tempore Magiſtratu abirent: Conſularis poteſtas reduceretur: & Tribuni plebis reſtituerentur, quod factū anno ſexageſimo poſt ejectos reges teſte, *Cic. de fin.* Quo anno tres Leges à L. Valerio Potito & M. Horatio Barbato Coſſ. latæ ſunt, quæ Tribunitiæ poteſtati facem ardentem prætulere, quas vid. apud *Forſter. hiſt. jur. Rom. lib. 1. cap. 23. n. 9. & ſeqq.*

X. Sed hæc hactenus neceſſitati plebis dari poſſunt, poſtmodum verò, quod moris illi eſt, cum vires ſuas noviſſe incipit, non minus acriter cum Patribus pro conſequendis honoribus quam antè pro vitando tantùm nexu & carcere decertavit, nec antè ceſſavit, quam aditum ſibi ad omnes omninò honores & Magiſtratus impetravit. Quamvis enim poſtquam Tribunos conſulari poteſtate, deinde Conſules de corpore plebis creari, inviti conceſſiſſent Patres: præcipuum his datum fuerit officium Ædilium Curulium *l. 2. §. deinde 26. de Or. jur.* & Prætorum, *Liv. lib. 6. in fin.* tamen, quin & hi poſteà ex plebe creati ſint, apud me dubium non habet.

XI. Ex hac viciſſitudine Status Reip. ex Ariſtocra-

ſtocraticâ Democraticâ factæ, Magiſtratuumque variorum, quos videre licet *in l. 2. de Or. jur.* variâ conſtitutione, in proclivi eſt colligere; hanc eſſe juriſdictionis quaſi quandam adoleſcentiam: Quæ ætas, ſi ulla, inconſtantiſſima eſt, eò quod, ut ICtus *in l. 1 pr. de minorib.* loquitur: fragilè & infirmum hujuſmodi ætatum conſilium, multiſque captionibus ſuppoſitum. Eam autem ætatem non tam ex annis Reip. æſtimatam velim, ſteterat enim ſub Coſſ. ferè quadringentos per annos, quam ex ſtatu, qui tum temporis, ut fuit varius, ità peſſimus.

XII. Non eſt itaque quod miremur Iulium Cæſarem impoſuiſſe huic ætati, & Monarchiam agitaſſe. Quanquam nec illud nego, quod Cratippus Pompejo, poſt amiſſam victoriam in Theſſalia, ad ſe divertenti, deque fortunæ & providentiæ injuriâ, quod in causâ meliore victus eſſet, conquerenti, reſpondit; Fatales eſſe Imperiorum periodos, & jam converſum iri Romanam Remp. in monarchiam. Nam id eventus comprobavit; Populo omne imperium ſuum ac poteſtatem lege Regiâ Auguſto & in reliquos deinceps Principes conferente, *l. 1. D. de Conſtit. Princ.* in quâ l. non probo, qui demonſtrativum, τ͂ Eum pro reciproco, Se poſitum exiſtimant, quaſi populus & in ſe poteſtatem Principi contuliſſet; Nam id extra controverſiam poſitum; Quod, ſi omne ſuum imperium Principi contulit, & in ſe contulerit. Proinde, ſi res quid vitij habet, ταυτολογίας potius incuſabo Vlpianum quam violatæ latinitatis.

XIII. Quanquam autem à magni nominis ICtis negatur: Latam eſſe talem legem Regiam *Connan.*

nat.lib.1.Comm.cap.16.n.3.Paurm.lib.1.de juriſd.cap.5.n.14. & ſeqq. tamen non tanta eorum authoritas eſt, ut tot legum, legis Regiæ mentionem facientium *d.l.1.de Conſt.Princ.§.ſed & quod Inſt.de jur.nat.gent.& Civ.l.1.§. ſed & hoc 7. verſ.& nemo C. de vet.jur.enucl.&c.* Conſenſum vincat, cum & *Dion. lib.53.* Tributum dicat hoc Principibus, ut ſoluti eſſent legibus.

XIV. *Paurmeiſt.* quidem *d.loco,num.18.* nihil inde concludi aſſerit, eò quod diverſa ſunt: legibus ſolutum Auguſtum fuiſſe: de quo tantum *Dion. d.loc.ſcribit*, & populum omne imperium in ipſum contuliſſe: de quo *d.l.1.de Conſt.Princ.*& reliquæ loquuntur. Tamen cum legibus ſolutum eſſe Majeſtatis ſummum jus ſit, *argumento l.31.de ll.* id Auguſto concedendo, omne imperium contuliſſe, eoque ipſo à ſe abdicaſſe cenſetur. Nam admittendi non ſunt, qui populum cumulativè, ut loquuntur, non privativè Principi eam poteſtatem conceſſiſſe putant: *Duar.c.1.de Conſt. Princ. Paurm. d.c.5.n.26.* Cum per rerum naturam fieri non poſſit, ut eadem Majeſtatis ſpecies & penes unum & penes omnes ſit. Vno enim imperante populi partes ſunt parere, ne, cum omnes imperant, nemo pareat. Quod de diverſæ ſpeciei regalibus, ut feudiſtarum verbo utar, cave dictum exiſtimes, quæ communicari poſſunt.

XV. Nec verò quenquam moveat, quod Auguſtus leges adhuc quaſdam, inter quas lex Falcidia, ſuffragijs populi ferri: quod SCta fieri permiſerit: quod Provinciarum adminiſtrationem cum Senatu populoque communicarit, vid. *Dion. latè lib.53.poſt pr.* quod primò in decennium tantùm Imperij gubernationem petierit, quo elapſo in quinquennium & de-

 inde

inde in alterum quinquennium, poſt iterum iterumque in decennium. Hæc enim quò abeſſe longiùs videbantur ab affectatæ Monarchiæ ſuſpicione, eò magis firmandi ſui cauſa faciebat. Et qua ſimulandi arte populus ei imperium ſuum contulerat, eadem ille populum in partem regiminis vocabat.

XVI. Nam uti ſpontaneo motu imperium à populo in Principem tranſlatum nō affirmare auſim, ità nec vim ullam ab Auguſto in populum ad conſequendum imperium exercitam, quo nomine tamen multi ipſi inclementius dicunt, putarim. Aliter enim me hiſtoriæ docuerunt. Nam *Sueton. cap. 28.* aliquoties eum de Repub. reddendâ populo cogitaſſe ait, & *Dion à lib. 53.* Eum oratione habitâ in Senatu imperium reddere voluiſſe ſcribit. Quæ à vi certè abſunt, licet fortè non à ſimulatione. Quid? quod patres, de quibus *Tacit. 1. Annal.* At ruere in Servitium Coſſ. Patres, Eques. Quantò quis illuſtrior tantò magis falſi ac feſtinantes, precibus ipſum coëgerunt, ut ipſe unus imperium retineret.

XVII. Neceſſe ſcilicet erat, ut inquit Pompon. *in l. 2. §. noviſſimè 11. de Or. jur.* Reipublicæ per unum conſuli, nam Senatus non perinde omnes provincias probè gerere poterat. In quo nec foro vti & Principū malitiæ velum obtendere Pomponium, nec fidem fallere, ut quidam aſſerunt, exiſtimo. Nam ut de ſtatus Monarchici eminentiâ præ reliquis, non enim eſt hujus loci, nihil dicam: Illud certè hiſtoricæ veritati congruit, Romanorū ſalutem tum temporis ex eo pependiſſe. Illæ enim tam brevi tempore tot graves Reip. concuſſiones convulſioneſque nihil niſi exitium in mutua vulnera expirantium civium minabantur, niſi

Æſcu-

Æſculapius aliquis Auguſtus huic malo medicinam attuliſſet. Idque eſt quod ait *Tac. lib. 1. hiſtor. in pr.* Omnium poteſtatem in unum transferri pacis interfuiſſe: & quod *idem lib. 1. ann. in pr.* Non Cinnæ aut Syllæ longa dominatio; & Pompeji Craſſique potentia citò in Cæſarem: Lepidi atque Antonij arma in Auguſtum ceſsêre; qui cuncta diſcordijs civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit.

XVIII. Diviſit tamen, ut Popularis videretur, Provincias cum Senatu populoque *Sueton. cap. 47.* Et à Senatu in Provincias miſſi, Proconſules ut antè: à Principe verò, Præſides & Legati Cæſaris *l. 1. & l. pen. de Off. Præſ.* & Proprætores; etiamſi ex his eſſent qui Conſulatum geſſiſſent, *Dion. d. lib. 53.* appellati. Illi legatos ſuos à Senatu adjunctos habebant, hi non item, cum ipſi eſſent Legati Cæſaris.

XIX. Circa quorum juriſdictionem ac imperium, cum magnam partem hæc materia verſetur. Hîc quaſi juventam juriſdictionis conſtituam ſedemque ejus figam, eam quidem tenuem, ſed perſpicuâ veritate, ut ſpero, quæ in ipſis rerum obtineat argumentis, munitam.

XX. Iuriſdictionem itaque non à jure & ditione, ſecundum ſententiam *gl. Zaſ. & aliorum*; Sed à jure dicundo dici: expeditius eſt, quam ut in eo probando multum nihil profuturi ſtudij ponendum exiſtimem. Illud dubio non caret; Quam latè id nomen in uſu hujus materiæ & ſignificatione famoſiore: in qua generaliter analogum per ſe poſitum ſtat, *Paurm. lib. 1. de juriſd. cap. 1. n. 6.* qui aliàs undecim ejus ſignificationes ibidem recenſet, pateat? Dd. communiter omnem poteſtatem & utrumque imperium

 eo no-

eo nomine venire affirmant. In quo vel invitus divortium ab ipſis facere cogor.

XXI. Nam ut de mixto imperio primum dicam: dicitur id quidem juriſdictioni cohærere *l. 1. §. 1. in fin. de Off. eius cui.* juriſdictio mixto imperio ineſſe, *l 3. h. t.* hoc illâ mandatâ tranſire, illam ſine hoc nullam eſſe, *l 5. §. 1. de Off. eius cui.* Sed non inde *Cuiac. lib. 21. Obſ. 30.* & alii falsò concludere debebant: Quicquid de juriſdictione prædicatur, idem & de mixto imperio, ac contrà. Quin potius contrarium ex *dd. ll.* dilucidè apparet, quibus ſuffragatur: quod *l. 4. h. t. l. ea quæ 26. ad municip.* aliquid magis imperii quam juriſdictionis, & *l. muto 6. § tutoris 2. de tutel.* aliquid neque imperii, neque juriſdictionis eſſe dicatur; quis ergò non videt hæc eſſe diſtincta?

XXII. Scipionem Gentilem, ſummum virum miror hac in quæſtione tam parum ſibi conſtare: *Lib. 1. de juriſd. cap. 2. ſub fin.* rectè Accurſium & aſſeclas dicit ſentire: qui, quicquid eſt juriſdictionis, idem & mixti imperij eſſe, & vice versâ, exiſtimant. Capite *v. ſeq. 3. in pr. ſtatim:* Iuriſdictionem, ait, ut nomine ſic etiam re ac jure ab imperio ſæpè ſeparari, non ſolum mero ſed & mixto. Nititur quidem hæc ità conciliare. Vt conſideratâ materiâ circa quam juriſdictio & mixtum imperium non differant: differant verò ſi vim ipſam ac naturam utriuſque ſpectemus. Sed facit equidem conciliando ut nihil conciliet, quin hac ratione Magiſtratus perſonam, quæ, quà talis, etiam circa cauſas civiles verſatur, juriſdictionem feceris; Quo tamen ſummam cognationem inter juriſdictionem & mixtum imperium non tollo, quæ tanta; ut hoc ab illa divelli non poſſit, nam ſi ſeparaveris, dicebat Ca-

ſcel-

ſtellius, perdes, juriſdictio enim mixto imperio ineſt, *l.3.h.t.* & ſine modicâ coërcitione nulla eſt nulliuſque momenti *c.paſtoralis,extra de Off.delegat.* quod & Æſchines ait: Inutilem eſſe Magiſtratum, niſi nervos habeat imperii: Quamvis actu non uſque quaque hoc requiratur, ſpontè parentibus iis, quibus ius dictum eſt.

XXIII. De mero imperio meo judicio, res magis eſt conſpicua. *l.1.& ult.§.1.de Off.eius.l.3.h.t.l.1.§.4.de ſuſp.tutor.* ex quâ firmiter concludo: *Quodcunque mandata Iuriſdictione non tranſit, illud non pertinet ad Iuriſdicundi officium. Merum imperium mandatâ Iuriſdictione non tranſit. l.1.de Off.eius. l.11.de Off.proc. Ergò hoc ad Iuriſdicundi officium non pertinet.* Et licet Dd. leges has de juriſdictione, ut vocant, ſimplici interpretentur, non dum tamen mihi probarunt: dari aliquam juriſdictionem generalem in jure, quæ & merum imperium ſuo ambitu complectatur, in quâ probatione, fallor, aut ipſi deficiunt.

XXIV. Scipio quidem Gentilis *d.lib.1.cap.2.* aſſertor generalis juriſdictionis, adductis levioribus, quam ut refutatione indigeant argumentis, demum concludit: Iuriſdictionis vocabulo, ubi merum imperium duntaxat, ſignificetur, non facilè reperies apud veteres authores vel ICtos. Vnum tamen ex Caſſiodoro exemplum adducit, quod uti ſatis evincit: Impropriam eſſe eam ſignificationem, ità de jure nihil probat, idem judicium ſit de reliquis, feliciori ſucceſſu non utentibus.

XXV. Poſthabito tamen uſu juris noſtri, non negaverim commodè juriſdictionem generis nomine accipi poſſe, cum etiam in criminalibus jus dicatur *l.2.§.1 & quia 23.& §.capta 32.de Or.jur.* (Vnde tamen ad iu-

 riſdi-

riſdictionem argumentando non procederem, niſi extra juris materiam hæc conſiderarem) Et Germani jurisdictionem triplicem faciant: Die Hohe/ Mittelbahre vnd Niedrige Obrigkeit/ Knich. *de ſublimi territor. iur. cap. 1. n. 231.* & Galli: haulte, moyenne & baſſe juſtice. *Longov part. 3. c. 2. n. vlt.* qui, parum latinè, altam, mediam & baſſam vocat.

XXVI. Verum de jure Civili non niſi civiliter & ex vſu legum loquendum, cui rei ſtudentes, ità juriſdictionem ſuccinctè definiri poſſe putamus, ut ſit: *Magiſtratus de cauſis notio.*

XXVII. Eſt enim notio genus juriſdictionis, cum non tantum pro cognitione & judicandi poteſtate Magiſtratuum ſed Iudicum etiam pedaneorum, qui juriſdictionem non habent, accipiatur, *l. ait 5. de rejud. l. notionem 99 pr. de V. S.* Quin imò abuſivè pro imperio mero. Vt *in l. 1. §. initio 4. de Off. Præf. Vrb. verſ. Si vltrà centeſimum lapidem, egreſſum eſt præfecti Vrbi notionem. l. ex omnibus 10. de Off. Præſ.* Vt ita erret Paurm. in eodem hærens luto cum Dd. juriſdictionem generalem juri affingentibus; qui *lib. 1. de iuriſd. cap. 10. n. 9.* notionem ait, in generaliſſimâ ſignificatione non latius patere quam juriſdictionem.

XXIIX. Verbum Magiſtratus diſtinguit juriſdictionem à notione judicis pedanei, qui cognoſcēdi judicandique ex formulâ præſcriptâ licentiam habet, juriſdictionem non habet; aliud enim eſt jus dicere, aliud iudicare, *C. ne quis in ſua cauſa iudicet aut ſibi ius dicat.* Diſtinguit etiam ab iis cauſis civilibus, quæ ſpecialiter lege, SCto vel Principum Conſtitutionibus tribuuntur, eæ enim neque imperii neque juriſdictionis ſunt, *l. muto 6. §. 2. de tut.* nec ergò Magiſtratus iure

compe-

competunt. Simpliciter enim converti poſſe hoc enthymema: Magiſtratus eſt, ergò iuriſdictionem habet, omninò exiſtimo.

XXIX. At Iuriſdictionem etiam habet, cui mandata eſt Iuriſdictio, quem tamen Magiſtratum eſſe, nemo eſt qui dicat. Facili negotio res expeditur. Iuriſdictio mandata non eius cui mandata eſt, ſed Magiſtratus qui mandavit iuriſdictio eſt, *l.1.§.1.&.l.3. de Off. eius cui l.ſolet 16.h.t.* Vnde & illud infertur; Diviſionem iuriſdictionis communiter receptam, in propriam & mandatam, ſpecie non differentem, veræ diviſionis requiſito deſtitui, quod tamen non impedit, quominùs eam retineamus diſtinctionis gratia.

XXX. Dixi de cauſis, ut propriam iuriſdictionis materiam explicarem, non æquè late ac officium Magiſtratus patentem: Quod vel extrà iuriſdictionem conſideratur: videlicet: Vt Proconſul vel Præſes ædes ſacras & opera publica circumeat inſpiciendi gratia, an ſarta tectaque ſint, vel aliqua refectione indigeant. *l.7.pr.&§.1.de Off.Proc* vt Xenia accipiat, ſed juxta illud: *ὔτε πάντα, ὔτε πάντοτε, ὔτε παρὰ πάντων, l.6 §. ult. de Off. Proc.* Vel circa juriſdictionem verſatur: ut in *l. nec quicquam 9. §. 2. & 4. de Off. proc.* juriſdictionis tamen non eſt.

XXXI. Neque neceſſarium putamus ad differentiam ſpecificam exprimendam definitioni addendum: *De cauſis civilibus & privatis.* Ipſum enim vocabulum Magiſtratus abundè declarat excludi hîc quæſtiones, ſive cognitionem & in crimina animadverſionem, quas ſemper ſibi Maieſtas reſervavit, quod in iis Reip. res agebatur, cui[9] intereſt delicta puniri, *l.ita vulneratus 51.§.2. verſ.quod ſi, ad Leg. Aquil.* neq;

eæ à

eæ à Magiſtratu ratione iuriſdictionis more maiorum competentis, ſed ſpecialis conceſſionis à lege, SCto vel Principe factæ, expediebantur.

XXXII. Subinde etiam privatos non rarò à populo ſpecialiter conſtitutos: maximè antequam quæſtiones perpetuæ factæ ſunt, qui Quæſitores parricidii dicebantur, *l. 2. §. & quia 23. de Or. iur.* teſtis locuples eſt, Sigon. *lib. 2. de iud. cap. 4.* quem ſequitur Cuiac. *lib. 3. Obſ. 39.* iniuriâ reprehenſus à Suerino *repet. lect. cap. 6.* reprehenſione potius digno, ob ineptam quam adfert rationem; quod populus Romanus æquo animo non fuerit laturus privati imperium, qui Conſulatum ferre non potuit. Sed de his infrà commodior diſſerendi locus.

XXXIII. Definitione noſtra hoc modo firmatâ, in refutandis aliorum verborum compendium faciam. Illud tantùm dicam: Accurſii definitionem, cum grano, quod aiunt, ſalis acceptam, tolerari poſſe; quod ſit: Poteſtas de publico introducta cum neceſſitate iuris dicendi & æquitatis ſtatuendæ, *l. 1. de iuriſd. omnium iud.* Bartoli verò additionem ad eam: tanquam à perſona publica ſtatuendæ, *in l. 1. n. 2. de iuriſd. omnium iud.* ſupervacaneam eſſe. Illam verò definitionem iuriſdictionis ſimplicis, quam idem *in l. 3. h. t. n. 14.* malè definiendo ſuam facit: Quod ſit, quæ officio iudicis mercenario expeditur, privatam utilitatem reſpiciens, iuri omninò non eſſe conſentaneam.

XXXIV. Neque tamen ideò eam diſtinctionem officii iudicis, tanquam ſpuriam ex iure exterminandam puto, quod non ab ipſis legibus prognata. Res enim ipſa loquitur, officium eſſe aliquod quod per ſe ſtat, ſive hoc iudex ſuo motu exerceat, ſive ad

poſtu-

poſtulationem alterius; Vt:interponere decreta, dare judicem. Et aliquod eſſe, quod per ſe non ſtat, ſed deſervit actioni, ut fit in omnibus judiciis contentioſis, Bart. *in l.1.h.t.n.12.* quo nomine autem inſignire, & an illud nobile, hoc mercenarium appellare velis, tui eſt arbitrij. Licet quantum eius fieri poteſt, cum legibus loquendum ſit.

XXXV. Vnde veniam, non calumniæ argui meretur Anton. Matthæus, p.m. Præceptor quondam meus, qui, ut erat verborum obſervantiſſimus, *in lib. de fundam. juris alit: jaciend. diſſ. 7.* Diſtinctionem hanc improbat, non quòd neget: hæc officia eſſe diſtincta. Sed quod alterum mercenarium dici non debeat, vocabulo juri planè incognito. Neque verò illi, apud quos malè hoc nomine audit, graviter ferre debebant, Matthæum hanc Baro: Cyn. & aliorum diſtinctionem nolle admittere; Cum illi: Diverſum à Dd. ſæpè ſentiendo, ſuo jure vtantur neque iniuriâ. Sed his omiſſis, ad juriſdictionis diviſiones, ex quibus magnam partem hæc materia conſtat, progrediemur.

XXXVI. Non eſt mirum Dd. ità in hac materiâ hallucinatos fuiſſe, cum in rebus dijudicandis facillimè fallantur, qui veram vocabuli nativamque ſignificationem, quam prius noſſe oportet, *l. 1. pr. de juſt. & jur.* non probè intelligunt. Et hinc eſt quod Dd. juriſdictionis genericè acceptæ primam diviſionem in Imperium & Juriſdictionem ſimplicem faciunt. Quod juriſdictionem criminalem, ut vocant, nonnulli eandem cum mero imperio eſſe putant, inter quos *Bocer. de juriſd. c. 1. & 2. n. 5. & ſeqq.* alii eam à

 mero

mero imperio ità differre contendunt, ut in civilibus cognitio cauſæ ab ejus executione. Per illam exercitium publicorum judiciorum, de quo *in l. 1. pr. D. de Off. eius*. Per hoc jus animadvertendi verberandique intelligi dicentes. Sed utraque aſſertio vitio non caret, illa: juriſdictionem appellando quæ non eſt talis, hæc cognitionem ab executione criminum ſecernendo, quæ apertè reprobatur, *per l. 6. de Off. proc.* Vbi cognitio cuſtodiarum legatis mandata poteſtas gladii vocatur, quæ poteſtas meri eſt imperij, *l. 3. h. t.* Hinc denique eſt falſum illud: Quod conceſsâ juriſdictione omnimodâ, *Zaſ. in l. 3. h. n. ult.* & alii, imperium merum conceſſum eſſe dicant, quam quæſtionem, *Iaſ. in l. 3. h. t.* magnæ importantiæ vocat.

XXXVII. Solet diſpeſci Iuriſdictio, in eam: quæ more majorum & jure Magiſtratus; quam vel propriam vel ordinariam appellemus, & eam: quæ ex ſpeciali conceſſione legis vel Principis competit, quam ſpecialem alii, alii legalem, verbis ex re petitis vocant. Sed minus commodè. Vnde Ciceronem & alios hanc juriſdictionis appellatione complecti affirmare non audet Baro: *1. Var. quæſt.* & vix ſemel atque iterum in jure hoc nomine invenitur. *vid. l. 8. § ſed nec 18. de tranſact. l. 3. de poſtul. l. 3. § ſed etſi. D. iudic. ſolv. l. 2. pr. de Off. proc.*

XXXIIX. Quæ verò ea ſit, quæ Magiſtratus jure competit, tum ſciverimus, cum, quæ nominatim lege, SCto vel Principum conſtitutione, (ut excludam edicta Magiſtratuum: ut ſi v. c. Prætor quid nominatim ex ſua juriſdictione detulerit edicto. Cujus rei unicum exemplum eſt in edicto de damno in-

feсто

ſecto *Sc. Gent. lib. 2. de iuriſd. cap. 14)* tribuuntur, perſpecta habuerimus. De his ergò primò agemus, quibus probè cognitis; ſimul, quæ mandari poſſint, mandatâque juriſdictione tranſeant, ignorare non poterimus.

XXXIX. Duo eorum genera conſtituemus; Alterum quod tribunal & decretum requirit, quo in numero ſunt: Conſilii exercitio. Alienatio Prædiorum minoris. Tranſactio de relictis alimentis. Tutoris datio. Suſpecti tutoris remotio & impuberis arrogatio. Alterum quod authoritatem tantùm Magiſtratus deſiderat, & vel de plano expediri poteſt, quæ diſtinctio fundata in *l. 9. §. vbi 1. & §. de plano 3. de Off. proc.* quo pertinent: Adoptio, manumiſſio, emancipatio. De quibus ſigillatim videbimus.

XL. Conſilij exercitio, ideò ſic dicta in *l. 2. de Off. eius.* quod non à ſolo Prætore Romæ, vel Proconſulibus & Præſidibus in Provinciis ſed cum conſilio exercenda erat, quod ex quinque Senatoribus & totidem Equitibus Romæ; in Provinciis, ex viginti recuperatoribus, Civibus Romanis conſtitiſſe teſtatur, *Vlpian. tit. 1. de libert. §. 8.* Eratque ſuper manumiſſione factâ à minore viginti annis, quam Lex Ælia Sentia non niſi causâ cognitâ, cui id *Suetonii in Galba* convenit: *Cum quaſi manumiſſioni vacaturus conſcendiſſet tribunal*: fieri permittebat, *§. eadem Inſt. qui & quibus ex cauſ.* Ideoque ſpecialiter ſuper hac re Magiſtratibus cognitionem videtur conceſſiſſe, ut mandari non poſſet: *d. l. 2. de Off. eius.*

XLI. Cauſam Bachov *Comment. digeſt. tit. de Orig. iur. l. 2. §. deinde cum 29. n. 4.* hanc reddit: Quia

Decemviri iſti majoris erant authoritatis, quam ut per alium quam ipſum Prætorem cogi poſſent. Quæ vix probanda videtur, cum non militet in viginti illis Provincialibus Conſiliarijs ſive judicibus, ut vocantur *in l. 16. de manum. vind.* quorum tanta non poteſt dici fuiſſe authoritas. Quid ſi teneremus eadem uti ratione quâ in re non diſſimili uſus eſt, *Juſtinianus in §. ult. Inſt. qui & ex quibus cauſis manum.* Quod libertas inæſtimabilis res ſit, & ideò non cuivis ejus cognitio committenda.

XLII. Authoritas cognoſcendi interponendique decretum in prædiis minorum alienandis data eſt Conſtitutione Severi & SCto Prætori & Præſidi *l. 1. §. & ſunt 2. l. magis 5. § non paſſim 9. l. ſi prædia 11. D. de rebus eorum qui ſub tutela*: Non ergò jure Magiſtratus competit, cum nec mandari poſſit, *l. 2. §. 1. de Off. ejus.* Illud abſonum planè videtur; quod ex eo, quod decretum hæc cauſa exigit, *Scip. Gent. lib. 1. cap. 19.* negat: Principem per reſcriptum poſſe hanc alienandi prædii facultatem concedere, quia generalis eſt regula: Quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum & reſcriptum expediri non poſſunt. *l. 71. de reg. jur. l. 9. §. ubi decretum, de Off. procons.* Nam meminiſſe debebat: Eum, qui vi abſolutæ, quam habet, poteſtatis, decretum intervenire voluit, contrariâ voluntate, quam tùm declarat, cum reſcripto alienationem fieri permittit; id poſſe non velle, juxta regulam jur. Eius eſt nolle qui poteſt velle *l. 3. d. t.* Sed non alio quam ipſo Scipione Gent. ad refutandum Scipionem opus eſt, qui *eodem cap. 19.* dicit: Quamvis enim ſummus Princeps non ſit alligatus ordini judicio-

rum,

rum, tamen eum libenter ſequi ſolet. Et *eodem lib. 1. cap. 33.* Neque enim juriſdictionis legibus adſtrictus eſt, qui omnibus ſolutus eſt.

XLIII. Poteſtatem cognoſcendi: An tranſactio de alimentis ultima voluntate relictis admitti debeat: SCto ad Orationem Divi Marci facto Prætori conceſſam eſſe conſtat, *ex l. 8. pr. de tranſact.* itaq; mandare eam non poteſt, *d. l. 8. §. ſed nec 18. de tranſact.* Sed ipſe de ea arbitrium ferre debet, causâ cognitâ, nam ſi Prætor aditus citrà cauſæ cognitionem tranſigi permiſerit: tranſactio nullius erit momenti, *d. l. 8. §. ſi Prætor 17.*

XLIV. Tutoris dationem huc etiam refero, non ignarus de eâ diverſorum diverſas eſſe ſententias: Quibuſdam juriſdictionis eam dici poſſe omninò negantibus ex *l. muto 6. §. 2. de tut.* Quibuſdam ad juriſdictionem ſolum referentibus ob *l. Lucius 46. §. cum teſtam. 6. D. de adminiſt. tutor. & §. ſed hoc jure Inſt. de Attil. tutor.* Ego mediam quodammodo cum aliis viam eligens, non juriſdictionis more majorum competentis eſſe puto, ſed Magiſtratui adhærentis ex *ſpeciali conceſſione legis*, Vt *Prætori*, lege Attilia. *Præſidibus*, lege Iuliâ & Titiâ, *pr. Inſt. de Att. tut.* Vel *Principis*: Vt: *Legato Proconſulis & Iuridico Alexandriæ* ex Orat. Divi Marci *l. 2. de Off. jur. l. 1. §. 1. de tut. & curat. Defenſoribus Civitatis vna cum eiuſdem civitatis Antiſtite* ex Conſt. Iuſtiniani, *l. ſancimus 3. C. de Epiſc. audient.* Itaque nec mandari poterit, *l. nec mandante 8. de tutor. & curat. dat.*

XLV. Nec cuiquam ſcrupulum movere debet quod *d. l. 46. §. 6. de admin. tut & § ſed hoc 4. Inſt. de*

 Att.

Att. tut. dicitur: Magiſtratus municipales tutores dare poſſe juſſu Præſidum. Nam juſſus Præſidum, non confert hîc juriſdictionem ad tutorem dandum, quam Magiſtratus Municipales lege ſpecialiter iam conceſſam habent, *l. 3. D de tut, & curat. dat.* eâ tamen conditione, ſi juſſus Præſidis præceſſerit, ideoque priùs non habent, quam is præceſſerit. Implet itaque ille juſſus conditionē Legis, non juriſdictionem mandat. *Donell. 17. Comm. cap. 8.* Id quod pari ratione in Legato Proconſulis obtinet, is jus dandi tutoris ex Conſtitutione Marci habet, *d. l. 1. §. 1. de tut. & curat.* Sed quia nihil proprium habet, niſi à Proconſule ei mandata fuerit juriſdictio, *l. legati 13. de Off. Proconſ.* Non poteſt id jus dandi tutoris vt nec ullum aliud exercere, antequam ei à Proconſule mandata ſit Iuriſdictio. Quæ reſponſio cum vitio careat, amplectenda mihi videtur, *l. in ambigua 19. D. de ll.*

XLVI. Vt tutoris dationem ſic de crimine ſuſpecti cognitionem eiuſque remotionem lege nominatim deferri cum *Duareno ad hunc titulum* contrà *Scip Gent. ad Orat. Divi Marci, c. 5.* & alios defendam. *l. 1. § ſuſpecti 11. D. ad SCtum Turpil. l. 1. §. damus 3. D. de ſuſp tut. §. damus 1. Inſt. eod. tit.* Id tantum hæc præ reliquis præcipuum habet, quod mandari poteſt ob favorem pupilli, *l. 4. D. de Off eius cui mand.*

XLVII. Impuberis arrogatio, quamvis ſit adoptionis in genere ſpecies, & ſic ad legis actiones pertinere videatur: Tamen cum cauſæ cognitionem & decretum ſingulari jure deſideret, *§ cum autem Inſt. de adopt. l. ſi paterf. 15. cum ſeqq. eod. t. l 2. C. eod.* in hunc ordinem commodiùs referri perſuaſum mihi habeo.

XLIIX. Ha-

XLIIX. Hactenus de cauſis, quæ ſpecialiter delatæ, coram tribunali interpoſito decreto expediendæ ſunt. Nunc de iis, quæ cauſæ cognitionem nullam deſiderant, & vel de plano vel in tranſitu fieri poſſunt, ut in quibus Magiſtratus id tantùm penſi habet ſcire: An conſentiant illi in actum quorum intereſt, nec ultrà inquirit in rem ullam: Secus ac in ſuperioribus facit, in quibus partim & contrà invitos decernit, vt in tutoris datione & ſuſpecti cognitione: partim in conſentientes quidem, ſed non rarò contra illorum voluntatem, ut in prædiorum alienatione, alimentorum tranſactione & reliquis ejus generis ſpecialiter delatis.

XLIX. De quibus in quæſtione eſt: Vtrum ad Iuriſdictionem contentioſam an verò voluntariam, quæ alteram jùriſdictionis diviſionem conſtituet, referendæ ſint? Mihi illorum opinio probata ſemper fuit, qui eas juriſdictionis contentioſæ: quæ ex re nomen invenit, ideò quod in contendentes & invitos in iudiciis exercetur, non eſſe. Sed nec voluntariæ, quo refert *Donell.* exceptâ tutoris datione, *lib. 17. Comm. c. 8.* Quæ inter volentes, in iis quæ extra iudicium geruntur, exercetur. Sed intermedium quoddam genus conſtituere aiunt.

L. Ad iuriſdictionem autem Voluntariam tantùm refero, Legis actiones, ideò ſic dictas: quod nihil ferè habent niſi à lege *Scip. Gent. lib. 1. cap. 34. de iuriſd.* Legis actiones dicendo, non ad antiquum dicendi modum reſpicio; quo ad omnes omninò actiones, quibus inter ſe homines ex formulâ diſceptabant, legis actio porrigebatur *l. 2. §. deinde 6. de Orig. jur.* Nam

dicente

dicente Longovall. *part.3.cap.7.n.13.* Actoris eſt lege agere, hoc eſt: legitimam actionem intendere, judicum eſt, lege agere, hoc eſt: quod juſtum & à lege conſtitutum eſt decernere. Lictorum denique eſt lege agere, id eſt: quod legis eſt, exequi. *Liv. lib. 26. cap. 15. Lictor viro forti adde virgas, & in eum primum lege age.* Sed ex uſu moderni juris loquor, quo tantum de voluntariæ juriſdictionis actibus uſurpatur. Quod *Sc.Gent.1.de juriſd.cap.34.* multorum legum inductione non obſcurè probat.

LI. Sunt autem illi actus: Adoptio, manumiſſio, emancipatio. Quos ſpecialiter non niſi certis magiſtratibus delatos eſſe, non improbabiliter cum *Duar. h. cap 5. in fin.* aſſeri poſſe exiſtimo. Cùm quod exerceri non poſſunt, niſi ab eo, qui habet plenam legis actionem, *l.1.C de adoption.* quæ data dicitur Juridico Alexandriæ, *l 1.de Off iurid.* Profecto Auguſtali ex conſtitutione Divi Auguſti, *l.apud Præfect.21. D.de manum.vind.* ſuo itaque jure eam non habuerunt. Tùm quod, cum olim legis actiones per alium expediri non poterant, *argumento pr. Inſt. de iis per quos agere poſſ.* neque alià Magiſtratu mandari, quod certi juris fuiſſe cum Bachov. affirmare non dubito. Nec hodiè earum naturam mutatam eſſe in iis actibus, qui nomen earundem retinuerunt.

LII. Neque cum illis facere poſſum, qui mixtam Legis actionum naturam faciunt; Vrbanis majoribus Magiſtratibus vi juriſdictionis competentem, reliquis ex ſingulari conceſſione legis vel principis. Vt qui nulla lege opinionem fundant. Stabimus ergò regulæ: Lege non diſtinguente nec noſtrum eſt diſtinguere.

guere. Et largirer quidem hoc ipſis, niſi dato uno inconveniente ſequerenter alia. Nam quod majoribus Magiſtratibus ſuo jure eas competere aiunt, eo ipſo illis mandandi poteſtatem in his concedunt, juxtà reg. *à l.1. de Off. eius.* Quæ competunt jure Magiſtratus mandari poſſunt. At Legis actiones mandari non poſſunt, ut theſi præced. probavi & amplius *l. 123. de R. I.* probo: huic ergò regulæ ſtandum donec probetur exceptio.

LIII. Si inſinuationem teſtamentorum de quâ in *l.2. C. quemad teſtam. aper.* & donationum de qua *in §. 2. de donat. & l. ſancimus C. eod.* cum *Franc. de Claperiis Concl.23.* Si apertionem & publicationem teſtamentorum cum *Sc. Gent. 1. de iuriſd. cap. 20. in fin.* ad juriſdictionem voluntariam referre voles, memineris te aliter uti ac Romani uſi ſunt; Et ideò quæ de iis in legibus ſpecialiter conſtituta ſunt, v. c. Vt Proconſul eas poſſit etiam extrà territorium ſuum, ſimul ac Vrbem egreſſus eſt, exercere *l. 2. de Off. procon.* ad tuam juriſdictionem noli extendere, ceſſante ſcilicet diſpoſitione legis ubi lex ceſſat.

LIV. Legitimationem verò prorſus à juriſdictione voluntariâ excludi exiſtimo. Non tam quòd putem cum *Dd. in c. vnic. quæ ſint regalia:* Eam quæ fit reſcripto Principis pertinere propriè ad regalia, quæ potius Reipubl. gubernationem ſpectant: quàm quod Princeps eam nulli Magiſtratui conceſſit: (ea enim quæ fit per oblationem Curiæ apud Magiſtratus non fit; cum Decuriones Magiſtratus non ſint, qui tantùm conſilii publici cauſa conſtituebantur, *l. pupillus 239. §. decuriones 5. de V. S.*) Qui cum juriſdictionem,

D lega-

legaliter ſumpto vocabulo, non habeat, nec poteſt dici legitimando juriſdictionem exercere quam non habet, ſed cognitionem, quæ juriſdictioni opponitur vid. *Sueton. in Claud. cap. 15.* Alium negantem cognitionis rem, ſed ordinarii juris eſſe, agere cauſam confeſtim apud ſe coëgit. Et hæc de iis quæ ſpecialiter tribuuntur dicta ſufficiant, de quibus ad reliqua, quæ vi juriſdictionis competant, inferendi expedita ratio eſt. Quæ ſunt omnia ea, quæ propriè ad jus dicentis officium pertinent.

LV. Sed cum ea diverſimodè conſideranda nobis ſe offerant, in ordinem redigenda erunt. Cui rei illam juriſdictionis ſubdiviſionem convenire putamus; qua, ratione Magiſtratuum Vrbanorum, Provincialium & Municipalium, in Vrbanam, Provincialem & Municipalem diſpeſcitur. Vrbani & Provinciales, Majores dicti, majorem etiam juriſdictionem, hoc eſt: imperium & poteſtatem habuerunt, *l. 2. de in jus vocand. l. ſed etſi 26. §. ait 1, ex quibus cauſ. mai. l. nec 32, de iniur.* Municipales, minores dicti, minorem juriſdictionem, Imperio poteſtateve deſtitutam habuerunt, *l ea quæ 26. ad municip.* non quidem eâ, ſine quâ juriſdictio expediri non poteſt, quæ Modica coërcitio, hoc eſt, imperium non merum dicitur, *l. vlt. §. 1, de Off. eius.* Sed quæ ob vim imperij, ut vocatur *in l. 12, de iud.* majorum Magiſtratuum eſt propria.

LVI. De differentiâ imperij & poteſtatis nihil hîc dicam, ſi quis tamen diſtingui velit; Vtrumque Romæ Majoribus Magiſtratibus, poteſtatem verò Provincialibus competiiſſe cum *Sigon. lib 3. de antiq. jur. provinc. c. 5.* exiſtimet, quamvis tamen hoc non fuerit

erit perpetuum, vid. *l. 8. de Off. proconſ. l. vn. de Off. præf. Aug. l. 3. de Off. Præſid.*

LVII. Illud juvat ſcire: Quomodo Verbum Imperii in jure ſumatur: Variè id accipi apud *Paurm. lib. 1. c. 11. n. 6.* legere eſt. Ego genuinam eius ſignificationem Imperio mero & mixto in hac materiâ tantùm tribuo. De mero ſuo loco dicturus, Mixti explicationem hîc ſuſcipiam: quod cognito eo, ſimul & natura jurisdictionis eminentioris, maioribus Magiſtratibus tantùm competentis, non poſſit non perſpecta eſſe.

LIIX. Imperium mixtum ideò imperij appellatione venit; quia non in jure dicendo, ſed in exequendo, imperando, iubendo verſatur, *VVeſenb. h. t. n. 7.* Ideò mixtum dicitur; quia permixtum eſt juriſdictioni, eique ineſt, *l. 3. h. t.* Quemadmodum merum dicitur, quod nihil iuriſdictionis in ſe continet, ſicuti vina, quibus nihil admiſtum eſt aquæ merum appellamus. Quomodo verò juriſdictioni mixtum ſit, non una Dd. eſt ſententia, quas hîc latius perſequi, inſtituti mei ratio non permittit.

LIX. Ità ſtatuendum arbitror. Cum *Coraſ. in l. 3. h. t. n. 25. & 26.* Mixtum Imperium duplici modo conſiderari: Altero ſignificare Magiſtratus Imperium, cui iuriſdictio dicitur ineſſe, *l. 3. h. t.* Altero modicam coërcitionem iuriſdictioni explicandæ, tuendæ & exequendæ deſervientem, *l. vlt. §. 1. de Off. eius cui mand.* quod eidem cohærere dicitur, *lib. 1. in fin. de Off. eius.*

LX. Neque verò hac in parte Bachovio accuratiſſimo aliàs ICto adſtipulari poſſum. Qui, cum

 ſolâ

ſolâ coërcitione imperium mixtum definiret, neque tamen id illi imperio mixto, de quo in *l. 3. h. t.* quod in bonorum poſſeſſione conſiſtit, conveniret, manum textui admovit cum *Ant. Fab. 4. Coniect. 4* & pro eo: *Quod in dandâ bonorum poſſeſsione conſiſtit*, reſtituit: *Quæ in dandâ bonorum poſſeſsione conſiſtit*, ut juriſdictionis faceret, quod imperio mixto tribuitur. Ego quidem; ut abſurdum reverentiæ genus eſſe puto, in verba legis jurare, & ineptam conciliandi rationem doctæ correctioni præferre: Ità nec illis aſſentiri poſſum, qui quodvis vel minimum dubium, ad inſtar nodi Gordij, gladio Alexandrino ſolvendum putant. Dicit quidem Bachov. adeò levem mutationem non improbandam, cum & alii variè eam legem tertiam hîc diſpungant & emendent. Sed non quid factum ſed quid fieri debuerit conſiderandum, *l. 12. de Off. Præſid.*

LXI. Quin dicimus cum ICto *in l. 3. h. t.* Eſſe imperii mixti, quę nō tam in jure reddendo quam imperando conſiſtunt, & ideò *in l. 4. h. t. l. ea quæ 26. D. ad Munic.* magis imperij quam juriſdictionis eſſe dicuntur. Sunt quidem, qui verbum imperii πολύσημον eſſe, itaque in *dd. ll.* imperium eam poteſtatem ſignificare, quæ majoribus Magiſtratibus propria eſt, de quâ *in l. 2. de in ius vocand. l. nec magiſtratibus 32. D. de iniur.* Verum cum illud ipſum Imperium cum juriſdictione in *dd. ll.* copuletur, & licet magis imperii, tamen & juriſdictionis dicatur: Quodnam id aliud imperium eſt, quam quod in *l. 3. h. t.* definitur: Mixtum imperium eſt, cui etiam juriſdictio ineſt? Neque perſuaderi mihi patior; illi imperio mixto, quod non merum dicitur, *in l. vlt.*

§. 1. de

§.1.de Off.eius: & in modicâ coërcitione conſiſtit, citrà abſurditatem poſſe dici juriſdictionem ineſſe, quod ipſi fateri coguntur, qui in ſolâ coërcitione mixtum Imperium conſiſtere exiſtimant.

LXII. Ità *Sutholt. aph. 263. diſquiſ. de iuriſd.* Quin potius, ait, omne imperium mixtum accedit juriſdictioni tanquam principaliori ac digniori, imò velut ancilla dominæ. Vtitur enim juriſdictio famulitio Imperij mixti, & præſcribit: quando & quouſq; id uſurpari debeat, adeòq; illud in ſe continet & quaſi abſorbet. Ità & *Bachov.comm in primam partem Dig. tit.de iuriſd. cap.7. n.10.* Etenim imperium iſtud ſubſervit juriſdictioni & famulatur, & proindè non ſatis accuratè ei dicitur juriſdictio ineſſe. Itaque non abs re eſt, quod *Hotom. 7.Obſ.16.pro verbis:* Cui etiam juriſdictio ineſt, legit: Quod juriſdictioni ineſt. Nec tamen correctionem probant, quod certè aut dicendum eſſet, aut id negandum: In ſola coërcitione & executione juriſdictionis mixtum imperium conſiſtere. Neque tam craſsè locutum ICtum, cum Bachovio præſumendum eſt, ut ineſſe diceret juriſdictionem illi imperio, quod ſubſervit juriſdictioni.

LXIII. Poſito hoc principio: Primum de eo, quod ob vim imperii poteſtatemque competit, & propriè mixtum imperium dicitur, tractare inſtituam. Huc itaque primò refero dationem bonorum poſſeſſionis, *d.l.3.h.t. argumento. l.4. §.1.de Off.eius.* Vbi dicitur mandari poſſe dationem bonorum poſſeſſionis, de quo, ſi eſſet juriſdictionis ſimplicis dubitare non liceret. Neque me movet hæc objectio: Si decreta juriſdictionis eſſe negaveris, & imperio mixto dederis,

ris,

ris, quid tandem erit jurisdictionis, cuius paſſim in jure fit mentio, rarò mixti imperij? Nam cum in cauſis ferè omnibus, paucis tantùm, ſuæ cognitioni relictis, exceptis: judicem daret Prætor, ſicque per judicem juriſdictionem ipſe quaſi exerceret, factum eſt: ut juriſdictionis verbum magis frequentaretur, Prætore toties juriſdictionem exercente, quoties judicem daret, *d l.3 h.t.* Neque decreta jurisdictionis etiam eſſe nego, quomodo enim aliàs jurisdictio ineſſet mixto imperio? Solius eſſe nego, cum magis ſint imperii, *l 4. h t.* id eſt: Imperium in his magis emineat quam juriſdictio.

LXIV. At enim, inquis: Ità jurisdictionem cum mixto imperio confundis, quæ duo ſuprà th. 21. diſtinxeras. Non id volo, ſed in quo juſſus & imperium, v. c. Prætoris (ipſorum enim fuit, de omnibus cauſis civilibus jus dicere, ideoq; juriſdictionis commune nomen ipſis quaſi proprium fecerunt) magis eminet quam juriſdictio, mixti imperii facio, quod idem, dum in eius cognitione diiudicationeque verſatur Prætor, eſt etiam iurisdictionis, diverſo itaq; conſiderandi modo in eodem decreto & eſt imperium mixtum & iuriſdictio. Ex quibus apparet: Malè *Donell. Comm.* 17 *cap. 8.* dationem bonorum poſſeſſionis ad iuriſdictionem voluntariam referre.

LXV. Miſſionem in bonorum poſſeſſionem Imperii mixti maximum appellat remedium *Sc. Gent. lib. 1. cap. 24. argumento l iubere h. t.* Ea fit vel coërcendi alicuius causa, cum adverſus refractarios, latitantes vel abſentes datur, *l. 4. §. 5. de damno infect. t. t. D. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eatur.* Vel petenti decernitur, citrà alicuius

cuius coërcitionem, *l. ult. C. de Edict. Div. Hadrian. tollend.* de quâ lege vide omninò *Sc. Gentilem lib. 1. cap. 27.* Vtraque ſpecies eſt mixti imperii: Hæc eius de quo in præſentiarum nobis ſermo. Illa utriuſque.

LXVI. Iubere caveri Prætoriâ ſtipulatione (Prætorias autem ſtipulationes ſic audiri oportet, ut in his contineantur etiam Ædilitiæ, *l. 5. pr. de verb. Obl.*) magis imperii eſt quàm iuriſdictionis, *d. l. jubere h. t.* Stipulationes Prætoriæ, de quibus Vlpian. in *l. 1. de Prat. ſtipul.* vel ſunt iudiciales: quæ propter iudicium interponuntur, ut id ratum fiat, diſtinguuntur que ab iis iudicialibus, quæ *in l. 5. de V. Obl.* à mero iudicis officio proficiſci dicuntur. Vel Cautionales: quæ inſtar actionis habent, *l. 1. §. cautionales de Stipul. Prat.* Vel communes: quæ à Prætore, & interdum iudice, ſi res aliter expediri non poteſt, interponi iubentur, *§. ult. Inſt. de div. Stipul.* Has Prætor ſine cauſæ cognitione ullâ, niſi fortè ſummariâ, quando ſcilicet per calumniam cautio deſiderari dicitur, ipſe unus iubet interponi, *l. 1. §. quod ſi 9 de Prator. ſtipul.* Quantula itaque pars hîc eſt iuriſdictionis, quam ampla Imperii?

LXVII. *Longovallii* error hîc non eſt muſſitandus, quem *part. 3. cap. 2. num. 2. & ſeqq.* non uno modo prodit: Nam de iudiciali Prætoriâ ſtipulatione loquens eam facit mixti Imperii, modò actioni vel perſecutioni alicui ſubſerviat. Illique rei probandæ multa de ſtipulatione iudiciali iudicis adducit. Sed Prætoriæ iudiciales omnes antè iudicium inſtitutum interponuntur, *Sc. Gent. lib. 1. cap. 26* quî ergò actioni, quæ non eſt, ſubſervient? Et iudiciales iudicis, quæ

poſt

poſt cœptum iudicium tantùm interponuntur, toto genere differunt à Prætoriâ. Nec magis verus eſt in eo: quod cautionales ſtipulationes iuriſdictionis facit.

LXIIX. Reſtitutionem in integrum eiuſdem imperii mixti eſſe probat, *l. ea quæ 26. pr. & §. 1. Ad Municip.* Vtrum autem *d. l.* de omni causâ in integrum reſtitutionis accipienda ſit, ut Magiſtratibus municipalibus non competat? dubitari poſſit: Et puto accipiendam. Quanquam ſolam reſtitutionem minoris, ætatis lubrico lapſi imperii magis quam iuriſdictionis in *d. l. 26.* dici putem, cum in eâ ſolum ſibi ipſi Prætor cognitionem reſervarit, unde dicitur cauſa cognitionis Prætoriæ *l. in causâ 13. §. interdum D. de minor.* Nam reliqui damnum paſſi, cum actionem habeant: Prætor enim iudicium ſe his daturum promittit, *l. 1. de dol. mal.* eorum reſtitutio potius eſt iuriſdictionis.

LXIX. Et generaliter, ut rem in pauca contraham? Et interdicta, in quibus maximè elucet imperium, *argumento l. 1. & paſſ. de Oper. nov. nunc.* Et cauſas ſtatus, quæ ob favorem libertatis maiores iudices habere debent, *l. non diſting. 32. §. de liberali 7. de recept arbit. l. vlt. C. vbi cauſ. ſtat. l. 3. de Colluſ. deteg.* Et deniq; eas, quæ Prætoriæ ſeu extraordinariæ cognitiones appellantur, *t. t. de var. & extraord. cognit.* ad hoc imperium mixtum] potius quam ad iuriſdictionem quæ tamen illi, ut dixi, ineſt, refero. Vt rectè ſentiant, *Bart. & Dd. in l. 3. h. t.* quos *Sc. Gent. 1. de iuriſd. cap. 21. & ſeqq.* ſequitur, qui decreta omnia ad imperium hoc mixtum referunt. Et benè *Menoch. arbit. quæſt. 74. n. 20.* diſtinguit inter cohærere & ineſſe iuriſdictioni.

LXX. Nunc

LXX. Nunc nos ad alteram eam ſpeciem mixti imperii, quæ liti, ſuper civili negotio motæ, ſubſervit, cohæretque jurisdictioni, convertemus. Cuius varia ſunt exempla, pro modis variis coërcendi in civilibus. Præcipua ſunt: Pignoris capio, corporis retentio, mulctæ dictio. *l. ſacrilegii. §. ult. ad leg. Iul. pecul.* Sed & alia iudicia pœnalia, quibus jurisdictionem ſuam adverſus iniurias privatorum tuetur, Prætor propoſuit, ut videre eſt *ex l. 7. h. t. & tit. ſeqq.*

LXXI. Sed utrum hujus imperii ſpecies omnes omnibus Magiſtratibus competant, ſicque etiam municipalibus, inter *Dd. & Cuiac. in l. aliud fraus 131. §. 1. De V. S.* non convenit: Illis mulctæ dictionem his negantibus ob *d. l. 131. §. 1.* quæ de Magiſtratibus Municipalibus accipi non poteſt; quod Præſidum ibi poſt Magiſtratus mentio fit. Cuiacio Municipalibus eam concedente *d. l. 131.* Quod vix defendi poteſt. Ob *legem un. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* Vbi Duumviris negatur jurisdictionem ſuam defendere pœnali judicio, quod de mulctæ dictione intelligendum, ſecundum Accurſ. & alios. Nec Cuiacium juvat, quod Magiſtratus municipalis jurisdictionem defendere poteſt captis pignoribus, *l. quemadmod. 29. §. Magiſt. 7. Ad Leg. Aquil.* Nam à diverſis mala fit illatio; maximè in iis, quæ ſunt imperij, vid. *Scip. Gent. 1. de jurisdict. cap. 7.*

LXXII. An verò imperium mixtum mandari poſſit? dicam, ubi prius naturam mandatæ jurisdictionis explicuero. Neceſſe eſt itaque prius noſſe: Quis eam mandare poſſit. Cui rei hæc regula prodita eſt, *in l. 5. h. t.* More maiorum ità comparatum eſt,

 utis

ut is demum juriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo jure non alieno beneficio habet. Et hinc illa diviſio juriſdictionis in propriam & mandatam, quæ, ut dixi, generis in ſpecies oppoſitas non eſt, Pro quâ interpretes, invito penè jure, ordinariam & delegatatam nobis obtrudunt.

LXXIII. Proprio ſuoque jure juriſdictionem habent Magiſtratus, & ergò hi mandare eam poſſunt. De Maioribus conſtat; De Prætore *l.16.& ſeq.h.t.* De Proconſule, *l.legati 13.de Off.Proc.* De Præſide, *l.2.de Off. eius.* De Minoribus Romæ Magiſtratibus: ut Romæ Ædilibus & Tribunis, in Provinciis, Procuratoribus & Iuridicis quid dicendum? ſtandum puto regulæ: Nam Superiores mandare poſſe dicuntur, quia mandant propriam *l.4.de Off.eius.* quæ ratio cum & in minoribus obtineat, quare idem his jus non tribuatur? *arg.l.in omnibus 68.de Reg.I.*

LXXIV. Alieno beneficio habet, cui mandata eſt juriſdictio, vel potius exercitium juriſdictionis alienæ, nam nihil proprium habet ſive ſit Magiſtratus ſive privatus, ſed mandantis vice fungitur, *l.1.§.1. & l.3. de Off.eius.* is ergò juriſdictionem non transferet quam non habet, *l.nemo plus de R.I.* Et quamvis exercitium juriſdictionis ipſi mandatum ſit, tamẽ, cum id in facto conſiſtat, perſonale eſt, nec perſonam egreditur.

LXXV. In Legato Proconſulis multa quidem ſunt conſtituta ſpecialiter, quæ mandatario juriſdictionis non competunt. *Scip. Gent. lib. 2. c. 10.* ſeptem collegit differentias, inter quas: quod à Senatu legebatur, In quo errat A. Vacca, quod ipſum Proconſu-

conſulem elegiſſe ſibi legatos putat. Quod Proconſul tenebatur mandare legato juriſdictionem, *l. 4. §. ult. de Off. Proconſ.* Quod & mandatâ juriſdictione, propriam juriſdictionem, mandatario proprium nihil habente, *d. l. 1. §. 1. de Off. eius:* habere dicebebatur, *l. 13. de Off. Proc.* Sed hæc tanti apud me momenti non ſunt, ut dicam: Eum juriſdictionem jure Magiſtratus habuiſſe. Cum enim proprium nihil habeat, antequam mandetur juriſdictio, dicendum certè eſt hoc mandatum ei juriſdictionem conferre, non ergò habet jure Magiſtratus, habetur tamen ea quaſi propria *d. l. 13.* quia Proconſul eam revocare non poteſt inconſulto Principe; *l. ſolent 6. de Off. Proconſ.* ut cæteras proprietatis notas taceam, quæ tamen non efficiunt; Ut juriſdictionem mandare poſſit, quod dicendum foret, ſi jure Magiſtratus eam haberet.

LXXVI. Recenſitis iis, qui juriſdictionem mandare poſſunt, & iis, quibus mandari poteſt, unicæ huic regulæ incluſis: Qui judices dari poſſunt, (poſſunt autem omnes qui non prohibentur, de quibus vid. *l. 12. de judic.*) iis & juriſdictio mandari poteſt. Animum advertam ad ea quæ mandari poſſint. Sunt autem ea: Omnia quæ jure Magiſtratus competunt, *l. 1. de Off. eius.* Quæ regula in tantùm firma, ut nullam patiatur exceptionem. Quæcunque itaque juriſdictionis propriè dictæ, & imperij mixti ſunt, mandari poſſunt. Idque etiam de iis, quæ in ſpecie cognitiones Prætoriæ vocantur, cum *Don. 17. Comm cap. 8.* auſim affirmare. Nec enim admittam concluſionem: Magiſtratus extrà ordinem non dato judice debuit de iis cognoſcere, ergò nec mandare eas potuit.

Quod Dd. inter hæc non diſtinguentibus impoſuit, ut negarent; cauſas cognitionis Prætoriæ maioriſq; Imperii mandari poſſe. *Bart. Salic. in l. 2. C. de pedan. judic.*

LXXVII. Imperium mixtum mandari poſſe dixi; Seorſim autem & per ſe conſideratum mandari poſſe, quæ quæſtio inter interpretes multum agitatur, ut dicam in proclivi magis eſt, his tamen adhibitis cautionibus: Si Magiſtratus Imperium mixtum velit transferri, & non potiùs nudum exequendi factum Viatori, apparitori, aut alii privato ſit imperatum, is enim hoc caſu nudum tantùm miniſterium præſtat. Et ſi de eâ tantum mixti Imperii ſpecie loquamur, quæ in executione coërcitioneque conſiſtit. Nam in decretis alias, v. c. bonorum poſſeſſionis, quæ coërcitionem non habent, poteſtatem tamen & imperium habent, ideoque magis imperii eſſe dicuntur, *l. 4. h.* affirmare, iuſſum illum citrà iuriſdictionem mandari poſſe, abſurdum dictu fuerit.

LXXIIX. Hæc ſunt, quæ mandari poſſunt. Tranſit verò in mandatarium vel iuriſdictio generalis, vel ſpecialis aut particularis ad ſingulas cauſas. Poteſt enim mandans vel ſingulas cauſas unamque ſpeciem, vel totam ſuam iuriſdictionem alii mandare. *l. ſolet 16. & ſeq. h. t.* Neque fines mandati is, qui mandatum ſuſcepit, excedere debet, ut & in aliis mandati cauſis proviſum eſt, *l. diligenter 5. D. Mandati.* Generaliter verò mandatâ iuriſdictione, totum iuris dicundi officium omneque imperium quod mandator habet, *l. 1. §. fin. de Off. eius. l. 1. §. 7. de Suſp. tutor.* ergò & executio ſententiæ, tranſit. *l. ult. de Off. eius.* Quod negan-

gantes vulgò Dd. ignorantiam iuris veteris fatentur, delegatum ſuum, quem ex mandatario & iudice pedaneo conflarunt, cum iudice pedaneo confundentes, illique tribuentes, quod de pedaneo tantùm iudice *in l. 15. pr. de re iudic.* à ICto dicitur; eum ſententiam executioni dare non poſſe, inter quos, quod mireris, eſt *Gail. 1. Obſ. 97. num. 7.*

LXXIX. Quia verò pedaneorum iudicum hîc illata mentio, neque aliter fieri poſſit, quin in multos nos errores conjiciamus niſi mandatarii iuriſdictionem ab horum notione ſeparemus, operam, credo, non perdam, ſi de judicibus illis, qui privatas cauſas ex formulâ à Prætore datâ judicabant, dicebanturq; vel pedanei, vel ſpeciales, vel dati: paucis agam. Prætor itaque aut ipſe cognoſcebat, aut juriſdictionem mandabat, aut denique judicem dabat, quod, ut Iuſtin. de fideicommiſſariis, hereditatibus, *Inſt. dict. tit.* ait: paulatim converſum eſt in aſſiduam juriſdictionem.

L X X X. Quo autem id jure Prætor fecerit: An vi Imperii, an verò juriſdictionis aut ſpecialis conceſſionis licentiam illam habuerit? Dd. ingenia multum torſit. Mihi perſuaſum eſt, judicis dationem & ad mixtum imperium & ad juriſdictionem rectè referri. Quæ enim in *l. 12. §. 1. de jud.* ob vim Imperij conceſſa affirmatur, eadem in *l. 3. h. t.* etiam juriſdictionis eſſe dicitur. Nec ad rem facit, quod lege, vel SCto, vel Principũ conſtitutione in *d. l. 12. §. 1.* concedi aſſeritur. Nam diverſa ſunt lege concedi, & lege ſpecialiter concedi. Cum enim à lege vel Principe tanquam pereñi fonte omnis fluat juriſdictio, inq; iis radica-

dicaliter, ut loquuntur, reſideat, quæ Magiſtratibus ineſt formaliter: Ea etiam, quæ juriſdictionis ſunt vel imperii, dicuntur à lege vel Principe deferri confirmarique argumento *l. & quia 6. h. t.*

LXXXI. Quomodo verò dati ſint judices hi pedanei explicat, *Sigon. tot. lib. 1. de iudic.* maximè *cap. 24. & 27.* Expeditum id fuiſſe certis formulis conſtat, quibus Prætor judicem dabat, qui de facto cognoſcebat ex præſcriptione formulæ, à quâ ne latum quidem unguem recedere poterat: Quibuſque litigantes, poſtquam ratam habuiſſent judicis dationem: omnes enim judices non niſi conſentientibus dabantur, *l. 23. pr. de appell. & l. obſerv. 47. l. ſi in 80. de iud.* litem conteſtabantur.

LXXXII. Litis conteſtatione factâ, iudicium cœptum eſt, in quo coram judice pedaneo, ut vocatur *t. t. C. de pedan. iud.* de privatis ſinguliſque tantùm cauſis, unde & ſpeciales judices dicuntur, *l. vlt. de Off. Prætor. l. vlt. C. de iud.* diſceptabatur, ſententiaque tandem interponebatur, quâ latâ, nullæ erant amplius huius iudicis partes, *l. judex 55. de re judic.* qui præter nudam notionem nihil habebat, *l. ait Prætor 5. de re jud.* Ideoque quemadmodum ea, quæ antè litem conteſtatam fiebant, ab eo qui judicem dederat expediebantur, ita & quæ ſequebatur ſententiam, executio, eiuſdem imperii erat. *l. à Divo 15. de re jud.* Vnde reſultant differentiæ mandatarii juriſdictionis, & iudicis pedanei: Ille iuriſdictionis & imperii mixti exercitium habet, *l. 1. in fin. & l. vlt. de Off. eius*, hic tantum notionem *d. l. 5.* Illi tota iuriſdictio poteſt mandari, *l. Prætor 17. h. t.* huic una & peculiaris tantum cauſa. Illi iudicis dandi licen-

di licentia competit, *l.12.§.h.t.* huic neutiquam competit, cum ipſe judiciario munere fungatur, *l.5. C.de judic.*

LXXXIII. Sed hæc ita jure veteri obtinebant, verùm paulatim, more illo dandi judices ſublato, Magiſtratus ipſi ad cognoſcendum judicandumq; neceſſitate adſtringebantur. Quod in Præſidum perſonâ ab Impp. Diocl.& Maxim. *l.2.C.de ped.iud.* conſtitutum, ſenſim ordinarii iterum iuris factum eſt, ſicque ad primam naturam rediit, unde vel ob occupationes, vel ob dignitatem tuendam, (ſtrepitus enim forenſes aures Prætorum maiorumq; Magiſtratuum quotidiè perſonare fas non eſſe videbatur) receſſum erat. Sed nec indiſtinctè Præſides ipſi cognoſcebant, nam cauſarum multitudine aut occupationib⁹ publicis diſtricti, aut ſi cauſæ eſſent viliores poterant iudicem dare, *d.l 2.l.vlt. C.de pedan.iud.* In iis tamen tantùm cauſis, in quibus anteà etiam iudicem dabent, *d.l.2.* cuius verba ultima: *dum tamen & de ingenuitate*, per ſe obſcura, obſcuriora Dd. interpretationibus redduntur.

LXXXIV. Cuiacii explicationem in *l. veſtis 127.de Verb.ſign.* amplectandam dicerem, ſi iudicem antè in his cauſis dari potuiſſe arbitrarer, ſed quia illæ maiores judices exigunt, *in l.32.§. 7. de recept. qui arbit. rec.* qui & maximi, *in l.vlt. C.vbi cauſ.ſtatus*: vocantur, & quia ſententia in his lata decretum; quo nomine ſententiæ iudicum non inſigniuntur, appellatur in *l.3. D.de Colluſ.deteg.* in *Bachov.* potius opinionem deſcendendum puto, qui *ad Treutl 1.Diſp.12. th. 7. lit. F.* novo modo, probabiliter tamen illa verba ult. ità explicat:

Quod

Quod de omnibus ſtatus cauſis ipſi Præſides cognoſcere debeant, ſive illæ ſint ingenuitatis ſive libertinitatis, cum antè cauſæ libertinitatis & ſervituris in Provinciis inter fiſcum & privatos ad Rationalis, ingenuitatis verò ad Rectoris ſive Præſidis Provinciæ cognitionem ſpectarent, *l. jamdudum 5. C. ubi cauſa ſtat:*

LXXXV. Cum itaque uſus ille pedaneorum judicum à foro juris paulatim receſſerit, cœpit natura etiam rei à Dd. quadamtenus ignorari, qui mixtam quandam ſpeciem inter mandatarium & pedaneum judicem efformarunt, quam & nomine voluerunt diverſam eſſe, delegatam appellantes, & multò magis re; Nam & delegatum recuſari poſſe affirmant, quod *in l. apertiſsimi 16. C. de iud.* dictum, de iudice pedaneo tantum accipiendum eſt, & ſententiam exequi poſſe negant, *per l. à Divo 15. de re iud.* quæ itidem iudicem pedaneum ſolum concernit. Non debuiſſent itaque, hanc naturam delegato ſuo tribuentes, de eodem affirmare: Eum vel ad unam cauſam vel ad univerſitatem dari, quod de mandatario in *l. 16. & 17. h.* aſſertum, de iudice delegato ſive pedaneo non eſt accipiendum; qui ad univerſitatem dari non potuit, Sigon. 1. *de iud: cap. 24.*

LXXXVI. Supervacanei itaque hic ſunt Dd. qui multis quæſtionibus rem per ſe claram dubiam reddunt; *An datus iudex ad pronunciandum etiam exequendi ius habeat? An delegatus iudex poſſit ſubdelegare?* quod communiter negant, per *l. 5. C. de iud.* his tamen limitationibus propoſitis: niſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum, vel: niſi, qui propriam iuriſdictionem habent, dederint delegato ſubdelegandi poteſtatem,

tem, quod tamen in delegato ſpeciali negat, *Fachin. 1. Controv. 45.* vel: niſi unum tantum cauſæ articulum velit ſubdelegare, quod à Bart; dictum reliqui non probant, *Fachin. 1. controv. 46.* Sed hæc & eius farinæ alia à jure noſtro ſunt remota, quo delegatus non eſt alius quam judex pedaneus *d l. 5. l. 16. C. de iud. l. un C. qui pro ſua iuriſd.* Qui cum nudam habeat cauſæ notionem *l. 5. de re jud.* dubitandum non eſt, quin nec iudicem dare ſubdelegareve poſſit, *d. l. 5. C. de iud.* Quod ſi delegatum pro eo, cui mandata eſt iuriſdictio, cum *iure Can. t. 1. extr. de Off. deleg.* accipias, ex verâ iuris ratione eum & exequi ſententiam *l. 2. h. t. Duar. in l. 15. pr. de re iud.* & omnia facere poſſe quæ mandans, ſicque etiam ſubdelegare, non iuriſdictionem mandando verum iudicem dando, inter omnes conſtabit. *Severin. repet. lect. cap. 6. Muſcorn. de iuriſd. n. 160.*

LXXXVII. Explicatâ differentia dati ſive delegati judicis & mandatarii juriſdictionis, alia ſubinde ſuppullulat, inter judicem datum à Magiſtratu & à Principe, qui vix alia re quam nomine differt ab eo, cui mandata eſt juriſdictio à Magiſtratu; (à Principe enim mandata juriſdictio propria fit, *argumento l. 6. h. t.*) Nam & judicem dare, *l. 5. C. de judic.* & ſententiam exequi poteſt, *argumento l. un. C. qui pro ſua juriſd.* ubi cum juriſdictionem habere dicatur, etiam executionem juriſdictioni cohærentem habebit, *l. ult. D. de Off. eius.* Cui & jus Can. adſtipulatur, *c. quærenti & c. ex literis de Off. delegat.* Illud etiam in his ſpecialiter conſtitutum, quod ſuos aſſeſſores & apparitores habeant, *Nov. 60. cap. 2. vid. Cuiac. 12. Obſ. 1.* Falſus ergò eſt, *Duaren.* qui *ad l. 15. de re iud.* ſcribit: Unam tantum eſſe differentiam in jure inter judicem à Principe & à Magiſtratu datum.

LXXXIX.

LXXXIIX. Agitari hîc ſolet quæſtio: An iſtud etiam ſingulari jure ſit in delegato Principis conſtitutum, ut cauſas meri Imperij poſſit ſubdelegare? Affirmant id nonnulli, inter quos eſt, *Sc.Gent.2.de iuriſd. cap.27.* Sed enim cum nemo poſſit gladii poteſtatem ſibi datam ad aliũ transferre, *L.6. de Off.Proc.l.nemo 70.de R.I.* ab ipſis recedo, in tantùm, ut nec hodierno jure cauſas meri imperii, ut quæ jure Magiſtratus non competant, ſubdelegari poſſe exiſtimem. Quid de delegatis Cameræ Imperialis dicendum? poſſunt & illi in cauſis delegabilibꝰ ſubdelegare, *Gail.1.Obſ.9.*

LXXXIX. Quia verò nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidquid diſſolvere quo colligatum eſt, *l.35. de R. I.* Et enim Magiſtratus ab iis conſtituantur, penes quos Reip. ſumma eſt, conſequens eſt, in arbitrio eorum poſitum etiam eſſe: quando & cui velint adimere juriſdictionem. Itaque propria juriſdictio vel Magiſtratu finito, quem annuum eſſe placuit, perimitur: vel durantè Magiſtratu ob admiſſum delictum, quod ſive in omittendo ſive in committendo, quæ diſtinctio eſt Cyñi, *in l. ſi Dominus 2.D.de his qui ſui vel alien iur.* in illo locum remotioni eſſe negantis, conſiſtat: parum intereſt. An verò antè tempus ſeipſum Magiſtratu abdicando juriſdictionem etiam amittit? non amittit, niſi id conſenſu ſuperioris fiat, uti ſub hac limitatione, *l.legatus pen. de Off. Præſid* accipienda. Quin & morte eius, qui Magiſtratum ſuſcepit, finiatur, dubitari non licet.

XC. Mandatam juriſdictionem Magiſtratum etiam alii poſſe committere, oſtenſum ſupra ſatis puto. Ergò idem & adimere poteſt, quod facit, mandatum revocando, quæ facultas libera conceſſa eſt Magiſtra-

giſtratui in mandatarium, illud tantùm ſingulare eſt in legato Proconſulis, quod liceat quidem Proconſuli eidem juriſdictionem auferre, ſed inconſulto Principe id facere non debeat, *l. 6. §. ſicut 1. de Off. proc.* Cæterùm ita demum & revocari poteſt juriſdictio, niſi res à mandatario geri cœpta, *l. 6. h. t. argumento §. rectius Inſt. mand. c. licet undiq; 20. De Off. & pot. deleg.* Neque verò diſtinguendum puto cum nonnullis: An mandans deceſſerit? ut tum demum cœpta res à mandatario perficienda ſit, non verò, ſi ipſe mandans juriſdictionem revocet, ut maximè res cœpta ſit. Nam optimâ ratione à mandato rei privatæ, quod quando intereſſe cœpit, non retractatur, *l. 8. §. mandatu 6. D. mand.* ad hoc mandatum argumentum procedere exiſtimo, Et quamvis largiar mandatarii nihil intereſſe, poteſt tamen plurimi litigatorum intereſſe, quorum favori datum, ut properandum videretur Imperatori, ne lites fierent immortales, *l properandum 13. C. de iud.* Et ut à Prætore ſervo, qui aliàs in iure Civili pro nullis habentur, *l. 32. de R. I.* geſta, ob utilitatem eorum, qui apud eum egerint, rata haberentur, *l. 3. de Off. Præt.*

XCI. Quando verò dicatur res geri cœpta, non facilis eſt deciſio: Qui litis conteſtationem requirunt, minus rectè videntur ſentire, potior illorùm ſententia eſt, qui citatione factâ rem integram eſſe deſinere affirmant, *Bart. in l 5. n. 13. h. t.* & alii, quorum opinio iure etiam Can. confirmatur: *c. gratum 20. de Off. deleg.* In eo autem Bart. præter juris rationem loquitur, quod unâ re geri cœptâ, in omnibus cauſis, in quibus juriſdictio mandata eſt, mandatarium poſſe procedere affirmat, hoc enim ſtante principio, cluſorium erit, quod *l. 6. h. t.* dicitur, juriſdictionem manda-

tarii morte mandantis finiri, cùm vix fieri poſſit, ut non unam alteramque cauſam è multis decidendam ſub manibus habeat mandatarius moriente mandante. Quæ tamen cœpti negotii explicandi gratia geruntur illiq; connexæ ſunt cauſæ, ſimul etiam expediuntur poſt obitum mandantis à mandatario, *argumento l. nam Servius 21. §. ſi vivo 2. De neg. geſt.* uti & illæ, quæ quidem poſt mortem mandantis cœptæ, ab ignaro tamen mortis mandantis mandatario; *argumento §. item 10. Inſt. mand. l. inter 26. §. 1. mand. l. 17. De Off. Præſid.* Vid. de his & ſimilibus amittendæ juriſdictionis mandatæ modis *Bocer. cap. 6, num. 51. & ſeqq. Scip. Gent. 2. de iuriſd. cap. 29.*

XCII. Mandatam iuriſdictionem non ſuis viribus ſubnixam, ſed à mandantis juriſdictione propriâ momentum omne capere, oſtenſum ſatis ſuperque exiſtimo. Nunc de eâ ſpecie paucis videamus, quæ ex conſenſu actuque partium ferè tota ſubſtantiam capit, *l. 2. §. 1. de iud.* non quod is juriſdictionem non habenti eam poſſit tribuere, *l. 3. C. h. t.* Sed quod poſſit eam incompetentem competentem facere, quæ prorogatio dicitur, & nihil aliud eſt, quam partium, juriſdictionem ultrà territorium ac jus judicis extendentium, conſenſus, lege confirmatus: Quæ poſteriora verba omninò non omittenda duco, *argumento l. 2. §. 1. de iud.* ubi legis Iuliæ judiciorum, conſenſum tantum privatorum requirentis fit mentio, ea ergò lex eſt, quæ huic conſenſui robur addit.

XCIII. Dividitur autem prorogatio vel in expreſſam vel tacitam. Expreſſa eſt, quando expreſsè convenit inter partes, ut alius jus dicat, quam cujus juriſdictio eſt, *l. 18. h. t.* Tacita, quæ facto ipſo partium ſine conventione inducitur. XC. Mo-

XCIV. Modos prorogandi Dd. alij quatuor faciunt; I. de tempore ad tempus, ut in *l. 2. §. 2. de iud.* II. De loco ad locum. III. De cauſa ad cauſam, *l. de qua 74. §. 1. de iud. l. inter 28. ad munic.* IV. De perſonis ad perſonas, *l. 15. & 18. h. t. l. 1. De iud.* Alij tres: Eum qui fit de loco ad locum non agnoſcentes, inter quos *gl. in l. 2. §. 2. de iud. verb: inhibita.* Alii denique duos: De tempore ad tempus, & loco ad locum excludentes.

XCV. Rectiſſimè illi mihi videntur ſentire, qui eam quæ de loco ad locum fit ideò improbant, quod legis adminiculo deſtituatur, ſine quo in jure ſingulari, qualis eſt prorogatio, ad conſequentias non eſt procedendum, *l. quod vero 14. de ll.* De lanâ ergò caprinâ, quod aiunt, Dd. eſt altercatio: An prorogatio juriſdictionis etiam extrà fines territorii jus dicentis fieri poſſit? quod communiter affirm: *Marant. p. 4. diſt. 12. Panorm. in c. novit. 7. de Off. legat.* Et an expreſſus conſenſus partium, ut & judicis loci illius, requiratur? Nam extrà territorium jus dicenti impunè non paretur, *l. ult. h. t.* quin eo caſu privatus eſt, *l. 3. de Off. Præſid.* Intrà territorium verò non poteſt dici prorogari juriſdictio, cum ea in quovis territorii angulo virtualiter reſideat, maximè in iis, quæ tribunal non requirunt, ſed & in his, ſi ibi Prætor ſalvâ Majeſtate & more majorum jus dicere conſtituit, *l. pen. de iuſt. & iure*: eo autem ſemel conſtituto; pactis privatorum contrà civilis juris regulas locus non eſt, *l. contra 28. de pact.* nec ergò facere poſſunt, ut aliò prorogetur juriſdictio quam ubi eſt tribunal. *argumento l. nec quicquam*

intra certum tempus judicare juſſi prorogatione loquatur, vix eſt, ut huc referri poſſit, cum enim judex nullam juriſdictionem habeat, quomodo ei prorogabitur juriſdictio? prorogatur verò notio ob favorem litigatorum, qui tamen non tantus, ut Magiſtratus juriſdictionem, quæ certo tempore à lege finitur, prorogari ad tempus efficiat, *Bachov in comment. h. t. de iuriſd. prorogatâ.* Specialis itaque hæc eſt prorogatio judicum pedaneorum.

XCVII. Veri propriique modi prorogandi ſunt: De perſona ad perſonam, *l. 18. h. t.* & de re ad rem, *d. l. 28. ad munic.* In hoc illud præcipuè conſiderandum venit, quod in rebus diverſæ naturæ prorogatio non obtineat, *Sichard. in l. 1. C. h. t. n. 8.* Quid verò; An qui ſpecialem iuriſdictionem ad certas cauſas habent, etiam in aliis ex prorogatione partium cognoſcere poſſunt, v. gr. Prætor Commiſſarius? Negant id ſummi viri, ſed credo poſſe, *argumento l. 1. C. h. t. l. 15. & 18. h. t. l. 1. de iudic.* In utraq; prorogatione principium liberum certumque agendi requiritur, ideoque nec error partium (in judice diversũ obtinet, *l. 2. §. 1. de iud.*) prorogationem inducit, *d. l. 2. pr. de iud.* nec à judice coacta voluntas litigantium *d. l. 2. pr.* qui privati ſint, an Magiſtratus, nihil intereſt, nam & hic iuriſdictionem etiam minoris Magiſtratus prorogare poteſt, *l. 14. h. t.*

XCIIX. Sed nec libera quidem voluntas ad inducendam cum effectu prorogationem ſufficit, niſi ipſam aditionem conjunctam habeat, quæ intermiſſa pœnitentiæ locum dat, *l. ſi convenerit 18. h. t.* Et malè à communi opinione ſeceſſionem facit, *Ioh. Corraſ. qui in d. l. 18 h. t. & lib. 4. Miſcell. cap. 5.* ſolum conſenſum ſufficere aſſerit, dictamque *l. 18.* de utroque litigatore pœni-

tente

ſente antè aditionem explicat, quòd alienum ab Africani mente, quam nec illi videntur aſſecuti, qui, ſi conventio aliqua facta ſit, ex quâ naſcatur obligatiò, aut ſi ſtipulatio interceſſerit prorogationem tenere partes putant, *Cuiac. tract. ad Afric. in pr. Don. 17. Comm. 18.* nam indubitata eſt iuris regula: In ſtipulationibus facti, qualis hæc eſt de prorogando, promiſſorem ad facti præſtationem non teneri, ſed præſtando intereſſe liberari. Cui tamen non parùm videtur obſtare, *l. pen. C. de pact. l. ſi quis 81. C. de Epiſc. & Cler.* Vbi Iuſtinianus eum, qui pactus eſt ſe non uſurum præſcriptione fori, vel, ut Practici loquuntur, exceptione declinatoriâ fori, conventioni ſuæ debere ſtare reſcribit. Sed in *dd. ll.* non agitur de prorogatione judicis incompetentis, ſed de non utendo privilegiò fori judicis aliàs competentis, quò caſu contrà conventionem venire non poteſt. Differentiæ ratio eſt in propatulo; Nam ut prorogatæ iuriſdictioni locus ſit, legis eſt beneficium, quæ cum per aditionem ſolam jus judicis firmet, ut iuriſdictionem ſuam tueri poſſit, antè eam effectum eidem videtur denegare; quæ ratio cum in eo, qui fori tantum privilegio uti poteſt, ceſſet, & diſpoſitio ceſſabit. Quæ verò de aditione dixi, nemo de litis conteſtatione interpretetur, verior enim eſt opinio exiſtimantium, antè litem etiam conteſtatam ius iudicis firmari. *Vult. in l. 1. C. h. t. n. 152. Secutus Guilhelmum de Cuneo in d. l. 18. h. t.*

XCIX. Iuramentum accedens conventioni de prorogando an tantum operetur quantum ipſa a-

berûm C. ſi adverſ. vend. aliud dicendum foret, ſi ex iure veteri rem metiremur, *l. 7. §. 16 de pact. l. 5. C. de ll.* vid. *Iaſ. in l. 18. h. t. pr.* aliquot rationibus hanc ſententiam firmantem.

C. Sed hæc quidem ità in expreſsâ prorogatione obtinent, in tacitâ verò, (quæ fit ipſo facto, ut quando quis ſciens coram iudice non ſuo libellum offert, ſatiſdationem præſtat, &c.) per litis demũ conteſtationem prorogationem fieri, adſtruunt non pauci inter quos, *Paurm. 1. de iuriſd. c. 25. n. 17. & Bach. in comm. h. t. de iuriſd. prorogatâ n. 13.* moti præcipuè *l. 4. C. h. t.* quæ, ſiquidem probandæ illorum opinioni deſervit, non minus in expreſsâ militat, in quâ, cum lege ſpecialiter conſtitutum ſit, ut aditio ſola iuriſdictionem prorogeт, videndum eſt, an non cum Dd. quibuſdam ſentiendum ſit: Et in prorogatione tacitâ, actum aliquem litis conteſtationem præcedentem prorogationem inducere, quem faciunt communiter exceptionis dilatoriæ obiectionem, *Zaſ. in l. 18. h. t. n. 29. Sichard. in l. 1. C. h. t. n. 7. Mynſ. 4. Obſ. 27.*

CI. Hæc de prorogatione, cui colophonis loco hoc addendum: quod mandatario iuriſdictionis etiam prorogari poſſit iuriſdictio, *arg. l. 1. §. ſi & iudex D. de iudic.* vid. *Don. 17. comm. 10.* niſi fortè una tantùm cauſa mandata ſit, uti diſtinguit, *Bald. in d. l. 1. de iudic. in fin. add.* Et niſi cauſæ ſint, quæ nec mandari poſſunt, ideoque v. c. in criminalibus ipſi non prorogabitur, in quibus prorogationem Dd. aliàs admittunt, ſi quis illi ſe ſubiiciat, qui cognitionem de tali crimine habet, *Bart. in l. 1. de iud. n. 9.* In qua aſſertione illud deſidero: quod Dd. iuriſdictionem prorogari dicant, quæ in criminalibus nulla eſt.

CII. Quia

CII. Quia verò ad conſervationem civilis ſocietatis non ſolum facit, ut ius ſuum cuiq; reddatur, verum ut pœnis etiam coërceantur delinquentes: ICti utrũque hoc titulo complexi ſunt, quorum ductũ ſequens, pauciſſimiſ etiam hanc partem attingam, quam merũ imperium vocamus, quod definitur ab *Vlp. in l3. h. t.* poteſtas gladii ad animadvertendum facinoroſos homines. Quam definitionẽ non uno modo Dd. iniuriâ tamen, fruſtrà enim omnibus numeris abſolutas ſemper definitiones in iure deſideraveris, impugnãt. Vocatur *poteſtas gladij*, tanquam à potiori, & quia, ut haſta iuriſdictionis, ità gladiꝰ huiꝰ imperii inſigne erat apud Romanos, teſte *Pacio Method. lib. 3. ad tit. de iuriſd. n. 37.* Et cũ in criminibus coërcendis omne imperium verſetur, definitioni addendo: *ad animadvertendum facinoroſos homines*, nihil non exprimitur, quod pertinet ad merum imperium; Id enim & cognitionem criminalium cauſarum continet, utcunq; id negent *Obrecht. c. 2. n. 9. & c. 3.* & quodammodò etiam abſolutionem, *arg. l. 6. de Off. Proc.* quia ejus eſt abſolvere cuius eſt damnare.

CIII. Merum imperium, uti conſtat, ideò ſic dictum quod à iuriſdictione ſeparatum eſt, cum quâ adeò nihil comune habet, ut ex contrariis penè regulis conſtet; Quæ enim iuriſdictionis, hoc eſt, magiſtratus iure competunt, mandari poſſunt. Merũ autem imperium nec jure magiſtratus competit, nec mãdari poteſt. *l. 1. de off. ejus.* Nequidẽ jure Civili novo, cũ enim *d. l. 1.* nullibi correcta videatur, ſtare adhuc intelligitur. *l. Præcipimus C. de appell.* Et nec jure canon: c. *ſi pro debilitate 3. de*

regulis rem æſtimare velimus, de eo non leviter dubitandum.

CIV. Limitanda tamen eſt Regulæ generalitas, ut eo caſu, quo quis ex iuſta cauſa abeſſe cœpit, officiũ ſuum perdat. *d.l. 1. de Off. eius l. 1. §. ſi quis autem, ad SCtum Turpil.* quod & ad infirmitatem, quæ impedit officio fungi, extenſivâ juris ratione Dd. referunt. Quod neſcio an ſtrictô iure obtineat, cum exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis; Ideoq; nec eo opinionis procedere debebant nonnulli, ut & ob occupationes & multitudinem cauſarum *Bart. in d. l. 1.* & in cauſis levioribus criminalibus exceptionem conſtituerent, *idem ad l. 3. de iuriſd.* Quemadmodum non minus erronei ſunt illi, qui exceptionem, de quâ *in d. l. 1.* ad unam cauſam legis Iuliæ de vi coërcent, *Cuiac. in Papin. ad d. l. 1. Bronch. cent. 1. Aſſert. 16. in fin.*

CV. Neq; eo caſu cauſarum ſolum criminalium cognitio, verum etiam executio, ipſumque imperium mandatur, cum enim regula ſit de imperio non mandando, & exceptio erit talis. Sicq; totũ imperiũ, quod in utroq; conſiſtit, complectetur. Sed cum hoc genus mandati extraordinariũ ſit, *l. 6. de Off. Proc.* nõ eſt extendendũ, ideoq; ut ſupra dixi, nec puto delegatũ Principis ſubdelegandi facultatem habere cum *Salic. in l. un. C. qui pro ſua iuriſd. n. 1.* quam *l. Dd.* quos ſequitur, *Sc. Gent. lib. 3. cap. 28.* pro contraria opinione facere putant.

CVI. Nunc meri etiam Imperii, gradus certos conſtitui conſequens eſt, quod ad exemplum pœnarum, quæ irrogantur, *de quibus in l. 28. de pœn.* in tres claſſes ſolet communiter dividi. Primi gradus pœnæ ſunt, quibus caput & vita naturalis adimitur. Secundi, quibus caput civile, libertas ſcilicet aut civitas: Tertij, quæ ad

exiſti-

exiſtimationem coërcitionemque tantum ſpectant, & ideoq; nec Capitales dicuntur. Quæ diſtributio præter *l.28. de pœn.* & à *Paulo tit.17. lib.15. Sent.* probatur, ubi in hæc verba ſcribit. Summa ſupplicia ſunt: crux, crematio, decollatio. Mediocrium autem delictorum pœnæ ſunt: metallum, ludus, deportatio. Minimæ: relegatio, exilium, opus publicum, vincula.

CVII. Quibus poſitis facilis eſt via referendi reliquas pœnas ad propriam ſedem. Sed de membri mutilatione quæritur? Et puto ad imum gradum referri, *arg. l.8. junct. l.10. Qui teſtam. fac.* Idem de damnatione ad perpetuos carceres quidam aſſerunt, quia eiuſmodi pœnâ caput civile adimi nuſpiam traditum eſt. Cæterum cum jure civili perpetui carceres tantum in ſervis habeant locũ *l.35. de pœn. l.6. & 10. C. eod.* quomodo ipſis civile caput adimetur quod non habent, *l.32. de R.I.* Damnationem tamen ad carceres huius gradus eſſe non dubito.

CVIII. Videndum deniq; an Majeſtas ita hoc Imperium contulerit, ut nudum tantum exercitium dederit, an verò jus quoddam proprium? Et veriſſimam puto ſententiam, *Sutholti b. aph.402.* Quod de jure civili exercitium tantum huius Imperii ſit translatum. Nam cum etiam privatis collatum ſæpe ſit, his velle aſſerere proprium Imperium datum, ſtultum foret. Datum autem fuiſſe privatis, maximè antequam quęſtiones perpetuæ à Corn. Syllâ factæ, & ſupra th.32. oſtendi, & amplius *arg. l.1. de off. eius & l. aliud fraus in fin. de V.S.* probari poteſt, ſed & poſtea in privatos collatum dicendum

CIX. Aliud verò dicendum eſt de jure moderno, poſt quam ad Germanos Principes ſuprema territorij jura cum ipſorum Regalium communicatione tranſire cœperunt, (cuius poteſtatis liberæ à Ludovico IV. conceſſæ prima fundamenta in Germaniâ jecit Henricus Auceps Saxo, Ottonis filius. *Rhen. lib. 2. p. 181.*) & quidem jure hereditario. Ex quo jure decidendæ maximè ſunt quæſtiones: An jurisdictionis appellatione veniat Imperium merum? Quod Dd. ſub conceſſione omnimodæ jurisdictionis affirmant. An conceſſo caſtro etiam merum Imperium conceſſum videatur? Et an merum Imperium præſcribatur? Ad, quas & cognatas quæſtiones facilis eſt reſponſio, ſub propoſitâ diſtinctione juris veteris & moderni, & qualitate perſonarum. Sed mihi hac vice propoſitum non eſt, de hodiernæ jurisdictionis facie quicquam agere, itaq; poſtquam eam, quæ in jure noſtro eminet, quamq; juventutis inſtar ſe habere dixi, breviter expoſui, gradum hîc ſiſtam. Neq; enim de eius ſenio & quaſi interitu quicquam attinet ſcribere, cum ea, quemadmodum ſimul cum Imperio incremẽta ſumpſit, virtute eorum, qui ad Reip. gubernacula ſederunt, ita eorundum inertiâ, Imperio Francorum, Longobardorum aliorumque populorum irruptione vaſtato, tandemq; in Germanos à Carolo M. translato, tantùm non penitus interierit.

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.